

periculum gravissimarum poenarum. Quae hic dicta sunt de obstetrice, prudens Confessarius facile poterit applicare casui, quo Parochus ipse fateretur, se multos invalide baptizasse. In quo casu ipse Parochus facile alia media poterit adhibere, v. g. si parvulos, quos scit invalide a se fuisse baptizatos, privatim ad se invitet, et tanquam iis volens benedicere frontem aqua baptismali ad hoc jam parata, vel in ejus defectu, aqua lustrali, aspergat largiter, et insuper pollice bene madefacto signo crucis muniens clam pronuntiet formam baptismalem: eundem modum facile poterit adhibere, si invalide antea baptizati jam sint adulti, ut dictum est supra in casu 2. n. 146. et 147.

169. VI. Quando plures simul baptizant, primo, ita ut unus affundat aquam, alter formam pronunciet, Baptismus est nullus, ex dictis n. 11. Secundo, si duo simul abluant et proferant formam, et quilibet habeat intentionem baptizandi independentem ab altero; si unus citius altero proferat formam, iste solus confert validum Baptismus; si ambo simul et eodem tempore, probabiliter adhuc unicus et validus est Baptismus, sicut quando plures neo-sacerdotes cum Episcopo verba consecrationis eodem instanti proferunt; quia singuli applicant omnia necessaria ad hoc Sacramentum, et unius actio alterius actionem non impedit, cum non pugnent inter se. Addit S. Thom. hic. q. 67. a. 6. in corp.: *Nec traderent aliud et aliud Sacramentum, sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.* Affirmat Gobat t. 2. in Exper. n. 143. crebro evenire, ut plures mulieres pro majore securitate baptizent domi languentem infantem; quo casu censet, infantem nihilominus denuo sub conditione baptizandum esse ob errores, qui plerumque in hujusmodi circumstantiis committi solent. Tertio, quando plures simul baptizant cum intentione baptizandi dependentem a concursu simul baptizantium tanquam causarum partialium, dicendo: *Nos te baptizamus;* Baptismus hoc modo collatus est nullus. Ita S. Thom. l. c., Laym. l. c. n. 7. contra Marsilium: quia haec intentio est contraria institutioni Christi, quam traditio et praxis Ecclesiae nobis declarat. Ibidem ait Laymann, e contrario validum quidem, sed in raro casu licitum esse Baptismus, si unus minister eodem tempore plures simul abluat hac forma: *Ego vos baptizo* etc. Denique semper grave peccatum est, si plures simul eundem baptizent quocumque ex modis recensitis: quia sic baptizantes agunt in re gravi contra usum et praxim Ecclesiae. Babenst. t. 8. p. 2. D. 1. a. 5. S. 1. n. 17.

170. VII. Intentio a ministro potest fieri modo sequenti: *Ego volo administrare Sacramentum Baptismi, sicut Christus instituit, et juxta ritum S. Romanae Ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei et salutem proximi. Da mihi, o Deus, gratiam, ut digne et competenter fungar hoc officio.* Praestat etiam praemittere vel subungere intentioni breves actus fidei, spei, charitatis et doloris, v. g. Credo omnia a Deo revelata, praesertim quod Christus instituerit Sacramentum Baptismi tanquam lavacrum regenerationis; quia Deus aeterna Veritas, quae nec falli, nec fallere potest, ita revelavit et per suam sanctam Ecclesiam credendum proposuit. Spero a te, o infinita misericordia, auxilium gratiae, ut digne jam administrare valeam Sacramentum Baptismi. Amo te, o summum Bonum, et ex amore tui doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis; detestor omnia peccata super omnia mala etc. Volo nunc in unione illius divinae intentionis, qua tu, o mi Salvator, instituisti, administrare Sacramentum Baptismi etc.

CASUS V. De Subjecto Baptismi.

Refert P. Lohner in Biblioth. Man. ex D. Anton. P. 3. V. Baptismus: *Cum Rex Tartarorum Cassanus desponsatam sibi Regis Armeniae filiam morti adjudicasset, una cum prole genita monstro horrendo et bruto simillima, quam ex adulterio prodisse suspicabatur; puerpera foetum suum more Christiano baptizari instanter petiit; baptizatur; et ecce! sub ipso Baptismo ex turpissimo monstro formosissimus puer evadit: quo facto Rex ipse commotus fidem Catholicam professus est.*

171. Q. I. An monstrum sit baptizandum? R. Agenda saepe laudata, sive Rituale Herbipolense ita resolvit de baptizandis parvulis: 1. *In monstris baptizandis magna cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum imminet.* 2. *Monstrum, quod humanam speciem non praesferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo etc.* 3. *Illud vero, de quo dubium est, an una aut plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti; et eo casu singuli seorsim sunt baptizandi unicuique dicendo: Ego te baptizo etc. Si vero periculum mortis imminet tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ibid. addit, quod nunquam alias, nisi in mortis periculo, liceat hanc formam adhibere ad plures simul baptizandos.* 4. *Quando vero non est certum, in monstro esse duas personas, vel quia duo capita et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unum absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

172. Q. II. An debeat baptizari monstrum habens caput ferinum, v. g. canis vel suis, quoad corpus vero et omnia membra referens speciem humanam? R. In tali casu, si res moram patiat, recurrendum est ad Ordinarium. Laymann L. 5. t. 2. c. 6. n. 13. cum Nav. ait, differendum esse Baptismus, donec certius cognoscatur, utrum sit homo, nec ne; si vero mortis periculum imminet, baptizandum esse sub conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo.*

173. Q. An baptizari debeat monstrum ex bestialitate progenitum? R. Servatis iis, quae dicta sunt, si progenitum sit ex viro et bestia, baptizandum est sub conditione; quia incertum est, an sit homo. Hinc judices saeculares solent tales bestias cremare una cum reo bestialitatis. Gobat hic. n. 278. cum Bonac. simpliciter ait, esse baptizandum; secus, si sit ex foemina et bestia, eoquod tum certius constet, non esse hominem, neque descendere ab Adamo.

CASUS VI.

Elias vir zelosus, sed non secundum scientiam, pueros hebraeorum in vicinia sua habitantium munusculis ad se alliecit et perquam familiares sibi reddit; tandem aliquos, quasi vellet maculas fronti adhaerentes abstergere, applicata aqua, submissa voce pronuncians formam, baptizat cum debita intentione.

174. Q. I. An Elias valide baptizaverit hosce pueros hebraeorum? R. Si necdum habuerint sufficientem usum rationis, valide baptizavit; quia adsunt omnia ad valorem hujus Sacramenti requisita; voluntatem autem

sive intentionem suscipiendi Sacramentum supplet Christus et Ecclesia. Secus, si fuerint capaces intentionis requisitae ad suscipiendum Baptismum.

175. Q. II. An licite baptizaverit Elias istos pueros, invitis parentibus? R. *Negative*. Ratio patebit ex sequentibus. De Baptismo Judaeorum infantium Benedictus XIV. in epistola ad Archiepiscopum Tarsensem vices gerentem in urbe (quam vide in Tom. 2. Bullarii pag. 86.) inter caetera asserit *primo*, quod nefas sit, Judaeorum infantes baptizare invitis eorum parentibus. Idem est iudicium S. Thom. 3. p. q. 68. a. 10., Bonac. de infantibus quorumcumque infidelium non baptizatorum, qui Christianis parentibus non despotice, ut servi vel mancipia, sed civiliter tantum, ut tributarii et vasalli sunt subjecti. Ratio est: quia vel tales infantes abstrahuntur a potestate parentum educandi in fide Christiana, vel eorum curae relinquuntur. Si *primum*: parentibus fit injuria, qui jus naturale habent retinendi apud se liberos, eosque nondum rationis compotes educandi. Si *secundum*: gravis ignominia Religioni infertur, cum tales baptizati parvuli parentibus infidelibus relictis, moraliter certo perversionis et apostasiae periculo exponantur.

176. *Secundo*, ibidem ait: si contingat, ut ab aliquo Christiano hebraeorum infans morti proximus reperiatur, rem laudabilem, Deoque gratam is efficiet, qui infanti aqua lustrali salutem praebeat immortalam.

177. *Tertio* addit, quod illum infantem hebraeum oporteat baptizari, qui projectus est et a parentibus derelictus.

178. Porro subjungit ibid. sequentes declarationes: I. Si parentes desint, infantes vero alicujus hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu non licet baptizare, eo quod omnis parentum potestas ad tutores pervenerit, contra *Dicast. Gobat et La Croix*, quorum ratio est, quod, cum jus tutorum sit per leges civiles introductum, possit eidem per Principem derogari, praesertim in causa infantibus tam favorabili.

179. II. Si pater Christianus fieret, juberetque infantem illum baptizari, baptizandus est, etiam hebraea matre invita.

180. III. Quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad fidem Christi si accedat, et infantem prolem offerat baptizandam, tametsi pater hebraeus reclamet, nihilominus aqua Baptismatis abluenda est.

181. IV. Si avus paternus Catholicam fidem susceperit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, infans baptizandus est, etsi, mortuo patre, mater hebraea repugnet; imo etsi pater vivat atque dissentiat, avus ad fidem conversus praefendus est. Idem Bened. XIV. in Tom. III. Bull. epist. 54. quae incipit: *Probe te meminisse*, affirmat, quod avia neophyta nepotes infantes licite offerat ad Baptismum, dissentiente matre, et tutoribus Judaeis.

182. V. Denique pro regula generali statuit, infantes a parentibus hebraeis oblatos baptizandos esse, etiamsi parentes mentem deinceps mutant; nunquam autem baptizandos esse, ubi adest periculum perversionis; qui vero, invitis parentibus, illicite baptizati sunt, rite tamen baptizatos et subtrahendos esse a parentibus, ac Christianis tradendos, ut fidem Catholicam edoceantur.

183. Q. III. Quenam sint regulae pro baptizandis hebraeis, aliisque infidelibus adultis? R. Benedictus XIV. in epist. n. 175. cit. statuit *primo*, Hebraeum septennio completo, sui compotem et quodammodo adultum censi; ubi addit, certissimam hac in re esse regulam, quod, si citra illam aetatem certo constet, puerum fidei catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, et quemadmodum fiat professio Christianae Religionis, baptizandus sit; eoquod aetas ad contrahendum matrimonium lege

humana statuatur; lex autem divina Baptismi nequam ab humana dependeat.

Secundo ait, si de perfecto rationis usu dubitetur, Sacramentum esse differendum, eumque, qui postulat Baptismum, retinendum ac interea informandum esse, ut idoneus evadat Baptismati postea suscipiendo.

Tertio ait, dubitari non posse, Baptismum esse validum, si adultus ad salutis fontem accesserit, voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unice proprium Ecclesiae.

Quarto si baptizandus praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, examinari prius debet, utrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata, adhuc perseveret; nam si nulla praecesserit retractatio et moraliter perdurare videatur intentio, est certe validum Sacramentum.

Quinto addit, si certo constet, adultum, cum baptizaretur, nullam prorsus habuisse voluntatem aut intentionem, illum monendum esse, ut rite id faciat, quod jam irritum fecit, et suscipiat absolute ac libere Baptismum; si vero obstinate repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem dubium sit, nec intelligi possit, an defuerit aut sufficiens adfuerit intentio, adultum tum sub conditione baptizandum esse; qui vero ita baptizati sint, fidem Catholicam observare tenentur.

184. Q. IV. An infantes infidelium non baptizatorum Principi Catholico despotice subjectorum, cujusmodi sunt Turcae et Saraceni, qui emuntur a veris dominis, aut jure belli apud illos fiunt servi, licite baptizentur invitis parentibus? R. *Affirmative*, dummodo a cura parentum abstrahantur et curae fidelium tradantur cum consensu dominorum. *Bonacin.* de Bapt. Sect. 2. pu. 2. n. 11., *Valentia, Gonet*, et alii. Ratio est: quia ejusmodi Principes habent plenum dominium in parentes et filios; ergo volente domino, ut baptizentur ejusmodi infantes et curae fidelium tradantur, parentibus non fit injuria, et remotum esse supponitur periculum perversionis.

185. Q. V. An licitum sit, Catholice baptizare infantes haereticorum contra voluntatem parentum? R. *Affirmative*: quia haeretici Ecclesiae jurisdictioni subjecti sunt: ergo iis non infertur injuria, dum compelluntur, ut parvulos suos ritu Catholico baptizari curent atque in vera fide instituant.

Dices: In Germania tum propter pacta cum Augustanae Confessionis sectatoribus, tum ad evitandum majus malum liberi relinquendi sunt in potestate parentum; ergo non licet eos ritu Catholico baptizare propter periculum perversionis cum gravi irreverentia Sacramenti. *Suarez, Coninck* et alii concedunt totum; *Laymann* vero L. 5. t. 2. c. 6. n. 12. negat consequens, affirmans, in Germania praxim contrariam a viris doctis ac piis saepe observatam fuisse, tum quia periculum perversionis non est adeo propinquum ac certum sicut apud infideles non baptizatos, tum quia haeretici Christi nomen et sacra Christiana non detestantur ut alii infideles, tum quia facillior spes est fore ut HH. liberi aliquando in fide Catholica instituantur, quam hoc ipso saepe libentius amplectuntur, quod sciant, ritu Catholico se fuisse baptizatos.

186. Q. VI. An filii infidelium adulti, et perpetuo amentes licite baptizentur, invitis parentibus? Respondet *Laym.* l. c. n. 11. *affirmative*: quia propter extremam necessitatem baptizandorum hoc casu aliqualis violatio parentibus illata ab injuria excusatur; tales enim adulti omni remedio spirituali spoliati essent, quando nulla spes est, eos ad rationis usum perventuros.

187. Porro *observa*. Si foetus praematurus sive abortivus edatur, et in eo advertatur motus vitalis, baptizari debet saltem sub conditione; quia, ut *Lessius, Lugo*, et alii ex probatis Medicis docent, foetus animatur circa

trigesimum a conceptione diem, juxta alios multo citius. Si vero non constet de signis vitalibus ex pulsu, respiratione, vel alio motu, juxta *Rituale Romanum* baptizandus non est.

CASUS VII. De Iteratione Baptismi.

Engelbertus e Christianis parentibus in castris natus, iis vero mortuis, a Christianis educatur, inter quos etiam pie conversatur; continuo tamen valde dubitat, an sit baptizatus, cum nec constaret de loco, ubi sit baptizatus, nec de patrino.

188. Q. I. An Engelbertus sit baptizandus saltem sub conditione? R. *Negative*. Desumitur responsio ex c. *Veniens*, fin. de Presb. non baptiz. ubi *Innoc. III.* ad Episc. Ferrariensem ita dicit: *Certe de illo, qui natus est de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda: quare non denuo baptizandus est, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Hinc si aliunde accederet justa causa dubitandi, an quis sit baptizatus, v. g. quia natiuitati ejus adstantes testantur, eum nec ad Ecclesiam fuisse delatum, nec domi baptizatum, sed quia ipse moribus ac religione perditam vitam degebat, si neque scripto, neque ullo teste constet de illius Baptismo, tunc enim deberet saltem sub conditione baptizari. Ita *Pontas V. Baptismus* Casu 31. ubi pro similibus dubiis addit mitiorem hanc regulam ex epist. 37. c. 1. *S. Leonis: Imprimis itaque providere debemus, ne, dum speciem quamdam cautionis tenemus, in damnum generandarum animarum incidamus Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum; nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille, qui consecrat.* Plura ibid. ex epist. *S. Leonis* 92. c. 15. ad *Ruffinum* Narbon. Episcopum: vide etiam num. seq.

189. Q. II. Quibus in casibus regulariter iterandus sit Baptismus? R. Praeter dicta n. 136. juxta Agend. Herbip. de forma Bapt. sub conditione repetendus est Baptismus in sequentibus casibus: I. *Si ob imminens mortis periculum infans adeo praecipitanter et tumultuarie sit baptizatus, ut certo constare nequeat, an necessaria omnia fuerint adhibita.*

190. II. *Si in partu geminorum, plerumque unius caput emissum atque salutari unda perfusum in uterum se recipiat, et postea de se dubitandi occasionem praebeat.*

191. III. *Si inter infideles aut haereticos, maxime Anabaptistas quis educatus, neque ipse Baptismatis sui recordari, neque per idoneos testes de eo suscepto certior fieri possit, aut si ab illis baptizatus sit, qui, ut a Catholica Ecclesia dissentiant, studiose Sacramentorum formas pervertunt, materiam contemnunt, intentionem vitiant etc.* Quibus verbis non innuit Agenda, quod promiscue omnes ab HH. baptizati sint rebaptizandi sub conditione, sed pro praxi monet, circa tales caute indagandum esse, ubi baptizati sint: et si comperiat, fuisse baptizatos in tali loco, ubi grassantur ejusmodi errores circa Baptismum, esse iterum baptizandos saltem sub conditione; tutissimum est in tali casu, ubi de valore baptismi dubitatur, rem deferre ad Ordinarium. Laudat *Benedictus XIV.* de Syn. L. 7. sanctionem a Patribus Concilii Provincialis Mechliniensis anno 1607. factam, qua decreverunt, denuo baptizandos esse, qui baptizati sunt ab haereticis, apud quos mos invaluerat, ut, uno aquam fundente, alter formam pronunciat; ut refert de ministris Hollandiae et finitimarum regionum. Ibid. pro generali regula circa tales casus adducit declarationem sacrae Congre-

gationis Concilii, quae interrogata, an et in quibus casibus baptizati ab HH. debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem Catholicam convertantur, die 27. Martii 1683. respondit, *non esse rebaptizandos, nisi adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi.* Ibid. ex actis Concilii Ebroicensis anno 1576. ait, a *Paulo V.* definitum esse, non esse rebaptizandos ob hanc tantum rationem, quod haereticus minister, a quo collatus fuit Baptismus, cum non credat regenerationis lavacro deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout institutum est a Christo; quia valori Sacramenti non obstat privatus ministri error, cui praevallet generalis ejusdem ministri intentio, faciendi quod Christus instituit, sive quod fit in vera Christi Ecclesia.

192. IV. Juxta cit. Agendam sub conditione rebaptizari debet, *si ex aliqua necessitate membrum aliud, quam caput, scapulae, pectus, vel horum aliquod sub forma tamen et materia secundum DD. dubia fuerit baptizatum.* Vide dicta n. 150.

193. V. *Si obstetrices in necessitate baptizarint, regulariter sub conditione infantes ab ipso Parocho denuo baptizentur, ob justum timorem, ne forsitan aliquid substantiale ab ipsis intermissum fuerit.* Ubi bene notanda sunt verba: *ob justum timorem*; si enim certo constaret, Baptismum ab obstetrice esse rite collatum, non esset sub conditione iterandus, sed tantum supplendae caeremoniae in Ecclesia praescriptae. *Benedictus XIV.* hac super re l. c. ita habet: *Si obstetrices de Sacramenti materia, forma et necessaria in ministro intentione sint legitime edoctae, sicuti nos in Notif. 8. eas per Parochos solerter edoceri jussimus, priusquam ad obstetricum officium exercendum admittantur, eaeque in speciali eventu, quo baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem Parocho interrogatae omnia rite a se adhibita testentur, quae ad Sacramentum valide conficiendum requiruntur, nulla sane subest probabilis ratio, cur Baptismus debeat aut licite possit sub conditione repeti.* Ex quibus verbis in praxi obstetrix a Parocho interroganda est, quomodo baptizaverit, quam materiam adhibuerit, quam formam pronunciauerit, an et quam intentionem habuerit, an et quam partem corporis abluerit etc. Si ad interrogata nec bene, nec constanter respondeat, recte juxta Agendam citatam regulariter infantes sub conditione denuo ab ipso parocho baptizentur. Secus si omnia rite a se adhibita sine haesitatione ac dubio testetur, ita ut justus non supersit timor, ne aliquid substantiale sit intermissum.

CASUS VIII. De Infantibus expositis.

Elisaeus aedituus mane aperturus Ecclesiam, reperit infantem expositum una cum scheda collo appensa et sale, tanquam testimonii Baptismi jam collati.

194. Q. An hic infans adhuc debeat saltem cum conditione baptizari? R. *Affirmative*. Rationem dat *Benedictus XIV.* in laudato opere de Synodo L. 7. c. 6. et Tom. II. Bullarii pag. 209.; quia non debemus rem adeo gravem committere fidei personae ignotae, cujus qualitates explorare non possumus; quare sacra Congregatio Concilii interrogata, an iterum baptizandi essent infantes, vulgo *expositi*, ad hospitale sancti Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamsi habeant collo appensam schedulam attestantem eos fuisse Baptismate ablutos, die 15. Januar. 1724, respondit, *esse denuo baptizandos sub conditione, nisi certa habeatur notitia personae, a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis rite eidem collati.* Agenda Herbip. tit. de baptiz. parvul. ita habet:

Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur. Idem confirmat Gobat t. 2. n. 397. ex Synodis Cameracensi, Mediolanensi III. sub s. Carolo Borrom., Colon., Constant. Plura vide apud *Marchant.* t. 2. c. 2. n. 4. in resol. Pastor. de Sacram. Contrarium docuerunt *Sotus, Sylv.* V. Baptism. q. 9., *Palud., Comit.* et alii, eoquod testimonium adjectae schedulae moralem certitudinem inducat; sicut testimonium obstetricis. Sed negatur *eo sicut*: quia hoc testimonium habetur a persona certa, quae aliunde supponitur non esse suspectae fidei, bene instructa etc.; non illud: ergo.

195. Pro aliis casibus resolvendis observa I. Si certum sit, unum e pluribus esse invalide baptizatum, nec posset resciri, quisnam eorum ille sit, singulos esse sub conditione rebaptizandos, affirmat *La Croix* de Baptism. n. 311. cum *Lug.* et *Dicast.*: quia, cum de nullo supponatur, haberi certum fundamentum, quod non sit ille certo invalide baptizatus, prudenter de singulis dubitari potest: ergo.

196. II. *Eulalia alias nec scrupulosa, nec melancholica, sed prudens mulier nunc perpetuis scrupulis, anxietatibus et inquietudine agitur de baptismi sui valore; hinc rogat Parochum, ut se sub conditione rebaptizet. Quaeres: An iterandus hac de causa sit Baptismus?* Affirmant *Quintanadu., Alloza, Gobat* hic a n. 446., *La Croix* hic n. 313. et alii, eoquod videatur esse prudens dubitandi ratio, quam confirmant plura exempla non baptizatorum, qui ita interne sunt agitati, post susceptum vero sub conditione Baptismum internae tranquillitati sunt restituti, alii ab infestatione spectrorum liberati etc. Nihilominus hoc facile fieri non debet; sed prius bene perpendendae et examinandae sunt circumstantiae personae ac loci, ubi primus Baptismus fuerit collatus et a quo; denique post diuturnam expectationem et post alia remedia frustra adhibita res est deferenda ad Ordinarium, et suadendi interea frequentes actus fidei, spei, charitatis, et doloris perfecti. De scrupulosis patet, quod non sint audiendi.

197. III. Si Episcopus vel Sacerdos ex gravibus motivis, adeoque prudenter dubius maneatur de valore sui Baptismi, non tantum debet abstinere a functionibus Episcopalibus vel Sacerdotalibus, sed debet conditionate denuo baptizari, et si in officio velit persistere, denuo ordinari et consecrari; pariter, qui a tali ordinati sunt, aut absolutionem sacramentalem acceperunt, iterum ordinandi et a peccatis absolvendi sunt; quia, quod est de jure divino, non suppletur per communem errorem, ut ait *Leonardelli* de Septem Sacram. c. 7. t. 1. c. 2. §. 2. q. 8. Contrarium docet *Jansen.* P. 2. cas. 89. num. 24. dicens: Si ejusmodi Sacerdos ante dubium de suo Baptismo jam plures absolverit, missas pro stipendio legerit, ipse et poenitentes tuti esse possunt; quia nullitas Baptismi non est certa, et in dubio praesumendum est pro valore actus, et ipsi sunt in possessione. At praeplicet prior sententia. Addit *Gobat* t. 2. num. 441. quod, si sciat poenitens, confessarium suum fuisse rebaptizatum, propterea quod prior Baptismus fuerit plane nullus, debeat absque dubio peccata mortalia vel eidem rebaptizato saltem in genere aperire dicendo: *Me rursus accuso coram R. V. de omnibus peccatis, quae fui ipsi unquam confessus, vel alteri distincte omnia iterum exprimendo. Sed quid, si poenitens nesciat, confessarium suum fuisse rebaptizatum?* R. Tum erit in bona fide, et quando alteri legitimo Sacerdoti peccata sua confitetur, simulque in genere omnium suorum peccatorum dolens se accusat, etiam prius exposita simul indirecte remittentur: imo facienti, quod est in se, Deus non deerit, sed potius deficiente alio medio dabit gratiam perfecti doloris aut amoris.

198. IV. Religioso ob defectum essentialem prioris Baptismi rebap-

tizato non licet deserere propterea Religionem, quamvis nec opus sit Novitiatu iterato, nec repetita Professione, quam tantum ratificare tenetur, ut declaravit S. Congr. Card. 1588.

§. IV. De Caeremoniis Baptismi.

199. Principium I. *Caeremonias et ritus ab Ecclesia pro administratione Baptismi solemniter institutos extra casum necessitatis omittere aut immutare, est peccatum ex genere suo mortale contra Religionem, et obedientiam Ecclesiae debitam; Laym.* L. 5. t. 2. c. 7. n. 5., quia est contra antiquissimum et saepe repetitum Ecclesiae praeceptum de illis adhibendis. Hinc *Trid.* sess. 7. Can. 13. statuit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a Ministro pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Ritus, qui etiamnum in Ecclesia sunt recepti, et ad Baptismum solemniter conferendum sunt observandi, habentur in ritualibus sive Agendis cujusque Dioecesis. Quare, ut recte monet *Laymann.* l. c., ministri Ecclesiae operam dare debent, ut ritus Ecclesiasticos circa Sacramentorum administrationem calleant, et cum decore ac populi aedificatione exercent, juxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Dixi supra, *Extra necessitatem*; quia in casu necessitatis ejusmodi omissio nullum erit peccatum; sublata necessitate, caeremoniae suppleri secundum ordinem debent: omittere unam ex levioribus caeremoniis, est veniale tantum ob parvitatem materiae. Uncionem Chrismatis in vertice baptizati omittere in baptismo solemniter, semper mortaliter peccaminosum censet *Nugnus* et *La Croix* hic n. 339.

200. Principium II. *Ad Baptismum regulariter sub gravi obligatione adhibendus est Patrinus, isque mas, si puer baptizandus; foemina vero, si puella sit baptizanda, de quo Trid.* sess. 24. c. 2. de reform. matrim. ita statuit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus.* Cognationem spiritualem contrahentes memoriae causa comprehenduntur his versibus claudicantibus:

*Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes.
Levans, levatus, levatique parentes.*

201. Ut quis valide munus *Patrini, Compatris, Sponsoris* vel *Fidejussoris* in Baptismo obeat, requiritur 1. ut sit compos rationis; certa tamen ac determinata aetas post usum rationis non requiritur. 2. ut sit baptizatus; quia pater nequit esse, qui nondum est natus in Ecclesia, nec aptus est ad instruendum in fide, qui eam non suscepit in Baptismo. 3. ut habeat intentionem patrinandi; alias censeretur quis tantum materialiter assistere, nec velle in se suscipere officium patrini. 4. ut baptizandum in